

deditis, ritus pari magnificentia & splendore instructos suppe-
ditavit, ut meretriciam cultus Ægyptiaci pulchritudinem re-
pudiarent, & iis artibus ad salutem, quibus olim ad perniciem,
ducerentur. Vid. *l. 3. Cap. 8. Sect. 4. p. 80.* Non nostrum fert pro-
positum, ut hanc hypothesin specialiter examinemus; ablega-
bimus itaq; B. L. ad *Clar. Wits. l. 3. c. 14. Ægypt.* Nos brevem & ju-
stam addemus censuram, qua eam notavit Magnif. Dn. D. *Fecht.*
in Syllog. Disp. 34. Thes. 7. Profana & impia est Job. Spenceri opinio,
Deum ineptos rudesq; Gentilium ritus in leges suas cooptasse, ut eo
facilius Israëlitæ & Gentiles ad veriorem religionē adducerentur.

§. 4. Controversiam de *Circumcisionis origine Lib. I. Sect. 4.*
Cap. 4. p. 27. ita proponit: Magna quidem securitate creditum
esse, Abrahamum hujus ritus caput & fontem fuisse, eumq; ab
illo præcipue per *Ismaëlis & Keturæ* filios ad gentes profanas
propagatum. At contrariam sententiam veteribusq; quibus-
dam, imo Autori cuidam nupero placuisse, Circumcisionem
sc. Judaicam proxime quidem à *Mose & Patriarchis*, remote ve-
ro ab *Ægyptiis* aut *Gentilibus* paulo antiquioribus (jussu ta-
men divino) profluxisse: Se vero nolle *Judicis* partes in re tam
sacra & perplexa sumere, sed velle argumenta pro utraque par-
te militantia in medium proferre, ut lectori integrum sit o-
mnia probare, & quod rationi maxime consonum videretur, re-
tinere. Arbitrantur autem Viri, fama & eruditione celebres,
Spencerum nihilominus privatim sententiæ *Marshami* hac
quoque in parte favisse, cum in *Indice rerum & verborum*, quæ
in primis duobus libris continentur, hæc legantur verba: *Israë-*
litæ ab Ægyptiis Circumcisionem Deo autore habuerunt. Vid. *Jo.*
Van der Weyen in Dissert. Spenceri de Hirco Azazel excussa §. 228.
in Variis Sacris p. 342. Confirmare etiam hanc de ipso suspicio-
nem languor ille, in refutandis argumentis contrariis satis
conspicuis, putatur. Quemadmodum solent isti facere, qui
privatim opinionem quandam singularem fovent, quam pu-
blice profiteri erubescunt, ut argumenta in contrariam par-
tem